

MATHEMATICA
PRO LVCANO
APOLOGIA ADVER-
sus Iosephum Scaligerum,

FRANCISCO INSVLANO PARISINO
Authore.

*Ad Renatum Biragum Cardinalem illustrissimum
Galliarum Cancellarium.*

H. J. n. 66.
(31)



PARISIIS.

Apud Ioannem Richerium via diui Ioannis
Lateranensis sub signo Arborisvirescentis,

1582.

MATHEMATICA

PRO LVCANO

ARITHMETICA ADVER-

suscriptum Scaligerum


FRANCISCO INSVLANO PARISIINO

Authore

Ab Reuerendo Patre Cardinali de S. Marcellino
Catholice Cancellarius

H. J. n. 66.

(12)



PARIS

Apud Joannem Richartum viam dei Joannis
Liberarius sub signo Arithmetice

1582

CAPITA ANIMADVERSIONVM

Scaligeri, in Lucani Astronomiam, quibus ordine hac Apologia Insulanus satisfacit.



Caliger cōmentariorum: in Manilium pag. 48. Lucanum adeo Mathematices expertem fuisse scripsit, vt sub Tropico perpetuum meridiem, ac proindè illic umbras nunquàm conuerti putarit.

His Insulanus pag. præsentis Apologiæ 9. satisfacit.

2 Scaliger eorundem cōmentariorum pag. 48. 50. 51. affingit Lucano, Tropicos illum circulos, reliquasque Zodiaci partes ita mobiles fecisse, vt eas ad Planetam, non Planetam ad eas promouerit.

His Insulanus pagina 11.

3 Scaliger pag. 51. Lucanum mixta aliquatenus puncta Signorum (vt vel manifestissimè sunt) dicentem non perferri, atque inde colligit illum vnum eundemque solstitialem diem cōtinuasse per duo Signa, Cancrì putà & Leonis.

His Insulanus pag. 12.

Atque interea de inæqualitate puncti Solis, cum Signorum punctis.

4 Scaliger pag. 51. Lucanum incusat, vno eodemque tempore, in Cancro simul, & Capricorno Solstitium, ac rursus sub ytroque puncto Cancrì & Capricorni, fontes Nili statuiffe.

His Insulanus pag. 15.

5 Scaliger pag. 51. Lucanum, stationem aliumque hahitum Planetarum solaribus imputantem radiis, irrifit.

His Insulanus pag. 16.

Atque interea de Theorica Epicyclorum.

6 Sextum caput est de conuiciis, quibus pag. 51. 52. 166. & passim tot commentariorum decursu Scaliger indignius tantæ maiestatis vir insultat.

His Insulanus pag. 19.

I
Ne præsentis
Apologiæ ra-
tio, & insti-
tutio te lector
lateat, præmo-
nendus es, Scaligerum hæc
ad Manilii A-
stronomiam
commentaria
nuper eddi-
disse: quibus
Lucanum in
Astronomicis
sex hic repeti-
tis locis lapsū
figit: idque
nec sine in-
tantum vir ū
contumelia
Lucanū, eius-
que de Astro-
nomia senten-
tiam tutatur
Insulanus.
Tibi igitur
quisquis hu-
ius Apologiæ
lector eris, o-
pere pretium
fuerit, & sca-
ligeri commē-
taria saltem
locis hic anno-
tatis, itemque
Lucanum, qua
parte accusa-
tur, præ te ha-
bere.
Frequēiori-
bus tamen
scholus
enitemur hac
te molestia,
quoad fieri
poterit, suble-
uare.

6 Scaliger pag. 166. deceptus vicinia harum vocū, Carmaniae, & Germaniae, quarum hæc Septentrionalis, illa Australis, Lucanum ait æstivas noctes peregrinas constituisse Septentrionalibus: Item noctem ab eodem illic ex Arcti, aut Bootis arcu notari: illum denique Austro quæ competant Septentrioni assignasse.

His Insulanus pag. 23.

FRANCISCVS INSVLANVS Lectori.

Calculus is Cæli, Latius minùs apta Camanis
Materies, paulò censenda benigniùs a te
Lector erit, quàm quæ & sensu, & pede libera sæuam
Aut Martem tonat, aut tenerum delibat Adonim.
Vatibus ampla seges illic, hic carcere iniquo
Verborum, & rerum ieiuna urgemur ab arte.
Ausä iter insuëtum si quidquam Musula profit,
Haud minimò ingratum pensarit fenore carmen.

IDEM INSVLANVS AD ILLVS-
TRISSIMVM CARDINALEM GAL-
liarum Cancellarium Renatum
Biragum,

DE Caelo lis tota, duo quoque pignora Caeli
Sunt ipsi Pugiles^r, Tu, cui commercia virtus
Plurima cum Caelo fecit, per dignus arena
Sederis hac Iudex: Jam mundi face caduci
Despecta, superes de Caelo, & sede Deorum
Nunc statuas, munus vel te, vel nemine dignum.

⁸¹
Lucan. & Seno
liger.

IDE M INSVLANVS AD ILLVS

TRISSIMVM CARDINALEM GAL

Historie Cancellarius R. S. S. S.

Brugnum

D E Culo ista duo quodque pignora Culi

Superioris Pignoris. Tunc committitur vixit

Plurima cum Culo scilicet pignoris arena

Sedem hoc fidei. Item muni si fecer caduci

T. Specta superius de Culo. T. Sede Decorum

Nunc fatus, mune vel re, vel nomine dignum.

...

...

...

...

...

...

...



MATHEMATICA

PRO LVCANO APOLOGIA,

aduersus Iosephum Scaligerum.



*I modicis Romam potuit clangoribus
anser*

*Tutari, & leuibus quandoque ingentia
causis*

*Seruantur: si quæ vel contemptissima
ducis,*

His etiã vtuntur magna ad molimina Diui,

Quidn̄ ego postremus varum licet, atque (quod vltro

Agnoscam) Aonios inter velut anser, Olores,

Magne tibi affuerim Vates, hostique litura

Æterna, Latiis Lucanum eradere fastis

Jurato, tenui qua possim oblucter opella?

Te-nè ego quem semper vel magni Numinis instar

Suspexi, cultus nunc prisca oblitus multum

Præteream, & tacito consensu in vulnera, vatem

Ad lacerum, vates quasi proditor obmutescat?

Nec sumus ignari, cum quo sint, Scaliger, hoste

Prelia, quæ pietas, & voti debitor olim

*Ipse animus nobis, tibi mens in quemlibet audax
Plus æquo, & patrio data iure licentia, fecit.*

*Quid vero intererit, si fortè his viribus impar
Munus erit? cum tuta suo stet pondere vatis
Maiestas, iustamque sui sibi debeat unus
Tutelam, extra se posita nihil indigus artis.*

*At sancte ô Vates, Latia laus vna Camena,
Indigna defense manu, tibi morte redemptum
Æternis nomen meritis, & frontis honora
Hocce supercilium, iam nunc auerte pusillis
Officijs, humilique assuescas Maximè dextra.*

*Exigui frutices, vilique aduecta canistro,
Liba Deos placant, aurato victima cornu
Nec semper cedit: Ventura exsuscitet ætas,
Qui sacra demùm tutela viribus æquis
Incubet, & plenos cineri persoluat honores.
Interea nobis, & pars aliquantula forsan
Laudis erit, tanto vel prælusisselabori,
Et tanti primùm valuas pandisse Theatri.*

*Sed neque erit, cur hanc indigniùs ipse palestram
Et Iosephe feras: id tantum inquirimus illa,
Quid verò propius: Quæ tandem iniuria veri
Cura inquirendi? Studia hæc sibi mutua debent,
Quos melior Phæbus literarum incendit honore:
Fœnus apud doctas aliud fecisse Sorores,
Nec sibi, nec Patriæ possunt virtutis alumni.*

*Deinde nihil demùm, nisi quod miseratio vatis
Affl. Et, nisi quod pietas extorserit, audis.*

Sin laude, at certe venia dignissima res est.

*Singula si numerem quæ passim effuderis, istud
Maius opus fuerit: breuiori limite arenam
Constringam, & reliqua leuium farragine rerum
Seposita, tantum illa sequar, quæ ad sydera, & Axis
Cælestis numeros spectantia, censor iniquus
Hactenus immeritum in vatem Iosephe notasti.*

*Cæleste hoc thema, ipsa ut maiestate Clientis,
Sic te etiam dignum selegimus: infera, Musæ
Inferioris erunt: nugis mortalibus & nos
Despectis, cælo caput attrolemus, & vnâ
Æternæ propius naturæ arcana tueri
Mirantes, lato cæli spatiabimur axe:
Quæque illic aderunt, faciemus sydera nostri
Conscia dissidij, testesque vocabimus in rem
Presentem: tecum mihi de cælestibus omnis
Lis erit, hanc & fas dirimi quoque iudice Cælo.*

*Primo igitur telo Lucanum hoc impetis, illum
Sub Tropico¹ immota Solem statione teneri
Credere, & his numquam verti regionibus umbras.
Dogma Mathematicis alienum a legibus, hoc nec
Astruit ipse cliens, nec nos defendimus ipsi.
Nempe imprudentem te lectio falsa fefellit
Scaliger, hæc dum vox irrepit adultera² (nunquam)
Pro (nusquam) nostri germana voce Poeta.*

*Omnibus & prelis id constat, id ingerit vltro
Et ratio, quæ non patitur te fingere vatem,
Usque adeo expertem cæli, sacræque Mathesis,
Qua nulli veterum cessit, nullique Nepotum,*

Primum ca-
put accusatio-
nis. Luca-
num perpe-
tuum meri-
diem sub tro-
pico consti-
tuisse.

²
Lucani Lectio
hec est.
Umbras
nusquam fle-
cente Siene,
scaliger men-
dose legit,
nunquam.

*Vt Solem æterna vertigine mobile corpus,
Vel Tropicis, alio cœli vel carcere figat.*

*Hoc voluit vates, Solem cum proximis Arcto,
Maximè abest, à parte dies quæ noctibus æquat,
Semidiemque notat, rectum appendere Sieni,
Tumque Sienenses umbras sibi flectere nusquam.*

*Hinc quoque coniicies contorti ea lectio vatis,
Quàm malè conueniat, quòd, vel te iudice, tantum
Absit, perpetuò Tropicis sub patribus umbras
Deficere, ut non hac tota Cœlique Solique
Parterubens qua Zona patet, sit rarior umbræ
Defectus, quàm sub Tropicis: Nam cætera, quæ sunt
Inter utrosque gradus Tropicum, bis vertice Solem,*

¹
Canceri apicē
Sol vna tantū
spira perti-
git, quamvis
Zodiaci gra-
dus reliquos
duplici: ut
qui descēdēs,
in illos reuol-
uatur, quos
ascendens
prius pertige-
rat.

*Bis quoque defectus umbrarum experta fatiscunt:
Illa semel tantum, atque die non ampliùs vna.*

*Quas etenim Phæbus spiras confecit, ab Austro
Consurgens¹, sensim a Cancro conuersus, easdem,
Et paribus demum numeris, gradibusque retexit,
Scilicet exactos iterum reuolutus in orbes.*

*Sic Cererem bis messor habet, bis vinitor vnas:
Solut apex Canceri, Tropicum quem dicimus, ex pers
Est spira duplicis, geminatosque effugit æstus.*

²
Solstitiū non
verè esse.

*Quod si stare dies aliquot Sol creditur illic,
Solstitiique adeo fuerit hinc nomen, id artis
Figmentum est², hebeti dum rem metimur ocello:*

³
solstitii effi-
ci ratio.

*Nec tum maiores, alio quàm sydere, Soli
Esse moras certum est: sibi id imbecillis ocellus
Debet, non Phebo: nam quo is sublimior orbi est,
Hoc intenta magis³ acies mortalis hebescit.*

Impar luminibus superis, hæretque sub ipso
 Obtutu, & cuius motum deprædere visu
 Non potis est, stantem delusus homuncio credit.

Alterius Tropici ratio nihil impar, & usus:
 Musa sed æternis, quæ te latuisse tenebris
 Fata volunt, fatis & tu obsequiosa tacebis.

Hoc vero (æstatem nulla sibi mitigat umbra)
 Ut taceam imprimis alio de Clymate dictum,
 Et Meroem longis semotam anfractibus illo
 Carmine signari, non hoc tamen innuit umbram
 Sedibus his nullam, tantos sed Apollinis æstus,
 Et contra usque adeo exiguas his corporis umbras,
 Ut nulla in tantos iam sit satis umbra furores:
 Vi maiore Poli, radijque ardore reflexi
 Vincitur, atque illic quæ sit, sit inutilis umbra.

Deinde etiam Tropici fecisse volubile punctum,
 Lucanum incusas, quanvis & pagina, quam tu
 Criminis indicium facis, id nec tinniat usquam.

Scilicet hæc (solem tenuit pars prima Leonis)
 Zodiaci hanc partem signant utcumque moueri,
 Et Signa ad Solem, non Solem ad Signa reducunt.

Sed quia descendis Cælo, eiuranque Mathesim,
 Nos ad grammaticum reuocas Iosephe tribunal,
 Ecquid apud vatem, cui laxa repagula fecit
 Liberior Phæbus, ducas ré ferre, siene
 An te ipsum teneat, teneas aut ipse sienem.

Pace tua dicam (vir magne) exactior auceps
 Verborum hic fueris, maiestas carminis ipso
 Plena deo, lingua famulante oracula fundens,

Lucani vetus
 10. pharsaliæ,
 quem Scaliger
 pag. 48. aptat
 Sieni, quam-
 vis de Meroc
 scriptum.

Secunda accu-
 satio, Lucanum
 mobiles Tro-
 picos fecisse,
 & Zodiacum
 ad Planetam,
 non Planetam
 ad Zodiacum
 promouisse.

Hos nūl cancellos, dicendi & retia nouit.

Mentis inhumanae facinus, Iosephe, minutim,
Et per quisquiliās vatem expandisse, suarum
Laudum assertores numerat qui iamque tot annos.
Posteritatis is est maiorum in nomina candor,
Atque ea religio, ut quorum sudoribus omnes
Profectus debes, horum tu in nomen anhellans,
Quod quadrare minū ducas, in mille figuras,
Mille habitus, & mille prius in schemata verses,
Ipsa vetustatis vestigia semper adorans,
Quam quid anile, decensue minū, quid denique prisca
Maestate minus dignum, maioribus ipsis
Affingas: gratis aetas post-nata fauorem
Patribus hunc debet, pietas haec una Nepotum.

1
Tertium ac-
cusationis ca-
put. Lucanum
signa signis
confudisse:

Nec minus iniuste haec damna¹ (qua mixta Leonis
Sydera sunt Cancro²) inclamas hoc dogmate mixta
sydera syderibus, turbatoque ordine Signi
Cuiusvis, & Zodiaci compage soluta,
In chaos antiquum rursus signa ipsa reuolui:
Denique de caelo, & numeris caelestibus actum.

2
Lucani ver-
sus.

Signa licet spatiis partita aequalibus orbem
Zodiaci, aeterno discrimine singula distent,
Inque vicem gradibusque, & certis sedibus absint:
Parte sui tamen extrema³ (quam iure supremam
Quis decadem, in decades tres secto sydere, dicat)
Cum decade prima vicini syderis una
Miscentur: sic is numerus, mensuraque Signi
Tricenos complexa gradus, duodenaque mundi
Sectio, mente magis, quam re, quam syderis ipso

3
Habita ratio-
ne solaris cur-
sus & graduū
quos sol cōfi-
cit apud si-
gnum quodli-
bet, signa æ-
quo distant
spatio: ine-
qualia tamen
sunt imagini-
bus: atque hæc
cōmiscuntur
primis & ex-
tremis deca-
dijs.

Tractu concipitur: spatium nam scilicet illud,
Pars Cæli est, quam sol apud astrum quodlibet æquo
Cursu emetitur, non quam planè occupat astrum.

Singula signa fidem facient, si singula cursi in
Expandis, sed ne digressa licentior erret.

Musa, satisfuerit de quo contendimus astrum.

sola acie (neque enim ullius res indiget artis

Machinulis) habitumque situmque aduerte Leonis.

Aspicias horrentem ut vultum & fera pectora Cancro

Obiiciens, quæ sunt extrema decania Cancri

Anticipet, ¹ seseque alienis finibus audax

Immittens, Tropico multum de limite radat?

Aspicias ut supero facta de sydere præda,

Nec contentus, adhuc attentet Virginis astrum

Inferius, ² iam parte sui prolapsus in illam?

Ecquid enim mirum immanis si bellua abuti,

Nunc humili Cancro, nunc simplice virgine possit?

Si vacat & reliquum cæli exegisse volumen,

Inque vicem reliquas partes, & cætera confers

sydera Zodiaci, spatium cuiuslibet impar

Agnoscis, Mundi que æterna lege, locorum

Mensuras differre sibi, licet ipsa Mathesis

Abstrusos meditata gradus efingat easdem.

Res at inæquales diuisas partibus æquis

Misceri, haud dubitet vel qui primoribus artem

Attigerit labris. sic quauis quæque seorsim

Corpora signorum, numerosque gradusque seorsim

spectanti, signi cum signo immixtio nulla est,

Cunctaque discretim numeroque & imagine constant,

I

Nam Leonis
primū deca-
nium cum vl-
timo Cancri
decanio (ut
aiunt) culmi-
nat.

2

Item Leonis
ultima pars
primum Vir-
ginis decaniū
occupat.

*Si tamen hæc eadem coniunctim, & corpus iniquum,
Æquis cum gradibus signi quis conferat, una
Sydera tum miscet, astroque interserit astrum:
Tum liquidò agnoscit, quid puncta ab imagine distent.*

*Astra sequi visu si non vacat, æmula cæli
sphærule subsidio est, quodque accersisse grauamur
Aliiùs, e picta licet ex prompsisse tabella.*

*Communi illa virum, quotquot coluere Mathesim,
Concinnata manu, depictum obruserit ultro,
Id quod anbellantes, & longa quærimus arte.*

*Sed quid inæqualem rationem in imagine signi,
Ad signi numeros, vano sudore requiris
Musa, ut imaginibus mixtis procedere Solem*

*Conficias, tandemque probes operosa, quod ultro,
Et cæli facies, atque obsignata loquuntur
sydera, si Phæbi & signorum puncta notaris?*

*Vere nouo¹ cum Lanigeri sol occupat astri
Principium, is signo primus, sed imagine plusquam
Vicenarius gradus est, aliud nempe incidit astrum,*

*Et præcedentis teritur pars maxima Piscis.
Parius de reliquis, & cætera discis ab uno.*

*Depræsum est² hoc a tacita vertigine Cæli
Octauum pendere, gradum quam circiter vno,
Communem aduersus motum, centesima messis*

*Promouet, annorum sex senis millibus orbem
Exactura sibi, si partes mobile primum
Quotquot habet, ³ totidem numerata in secula ducis.*

*Lentum opus, at per tot geminatum secula, ut inter
Et Solem, & Signum nascentis origine Mundi,*

¹
Hæc inæqualitas imaginum Cælestium, cum solis punctis, vel solo visu deprehendi potest. Etenim Sol primus gradum Arietis ingressu, manifestum est adhuc in ultimo decanio Piscium residere. Et tum, alio quotque post diebus, intergrum signum Arietis cuius apparere.

²
ex opinione recentiorum Mathematicorum.

³
360. cæli partes
100. seculum.
36000 productum.
Et ideo multi hoc ex numero, illum qui magnæ conversionis annus dicitur, argumentati sunt. Et si quis futurus, is certe sit, necesse est.

(Credere vti par est) sub eodem¹ condita puncto,
 Non leue discrimen pedetentim fecerit, & quod,
 Quæ nunc astra vides summis tantummodo mixta
 Marginibus, toto sensim labentibus annis
 Corpore confundat, donec² is motus in orbem
 Integrum reuolutus, in id, quo condita primùm
 Fulxerunt, unà Solemque & Signa reducat,
 Primulaque intacti referat cunabula Cæli.

Quid grauius nunc ergo feras, si sydera forsan,
 Castraque Zodiaci commixta aliquatenus audis,
 Permiscenda simul prorsum, quæ iamque Mathesis
 Omnis, & Æthereæ compaginis ordo loquantur?

Innocui³ nec dum satiatus sanguine Vatis,
 Hac parte hunc laceras (mutator⁴ circulus anni
 Egoceron Cancrumque tenet, cui subdita Nili
 Oralatent) id dum Tropico de vertice dictum,
 Ingenium præceps, captandique ipsa Cupido
 Astruit, ut mendæ sis idem, & Censor & author.

Circulus is nempe est, qui Mundi cardine ductus,
 Recta Æquatorem partitur in angula, & idem
 Cardinis alterius per punctum apicemque reflexus,
 Cancrum atque Egoceron spira proscindit eadem:
 Colurum veteres dixere, is torida regna
 Ethiopum, atque Pharon Nilotica littora, recto
 Emensus filo, nascentis conscius idem,
 Et vanescentis Nili est sic Scaliger illum
 Ad Tropicos, qui de Tropiciis nec cogitat illic,
 Iniuste reuocas: Nec tanta insania vatis
 Hic fuit, ut fontes, eademque exordia Nili,

I
 Communis enim sententia est, Mundum creatum sole in primo gradu Arietis constitutum:

Quod ex Panthateuco Mosis facile est conicere, Aut (ut magno nuper viro placuit) in primo Libræ: Quicquid sit, non modo verissimile, sed & certissimum est, solē exorsū fuisse a principio signi.

2
 si hætenus progressu temporum signa magna sui iā parte confusa sunt, necessesse est post istam procedentibus causis, & easdem progredi commixtiones, atque sensim totis corporibus commisceri, solēque ad id punctum a quo primū cæperat, tandem aliquando regressurum.

3
 Quarta accusatio. Lucanum in Capricorno simul, & Cancro solstitiū, atque reversus sub utroque solstitio caput Nili statuisse.

4
 Lucani versus.

Denique idem punctum, Tropico sub utroque locarit.
 Colluro voluit Tropicos, atque ostia Nili
 Subdita, non Tropicis, anfractu & tramite tanto
 Sepositis, ut vel ratio sit iniqua Polorum.

Quintū accu-
 sationis ca-
 put. Lucanū
 stationem a-
 liūque ha-
 bitum Plane-
 tarum solari-
 bus assignasse
 radijs.

A Tropico ad solis radios Iosephe regressus,
 Hic iterum in vatem nihil æquior ex candescis:
 Nempe quod Erronum moderamen Apollinis orbi
 Adscribat, radijsque¹: sed hoc quoque crimine nostrum
 Vel minimo sudore licet purgasse clientem,
 Sympathiam Erronum cum sole, stupendaque Cæli
 Hac quæ parte latent mysteria, carmine munus
 Peruium adhuc nullo, si quisquam attentius audit.

Hoc & Musa tamen præmitte, quod ipsa Vetustas,
 Communi assensu radijs solaribus hanc vim
 Fecit, ut his quodam velut obice cætera sisti
 sydera crediderit: quibus alluisse Poetam
 Quid Iosephe vetat? Quod si hæc sententia forsan
 A cæliratione (quod & quoque suspicor) absit,
 Temporis id vitium est: sibi laxa repagula vates
 Liberior facit, huic fictis alludere mos est,
 Non minus ac veris, atque haud discrimine multò,
 Nunc sua, nunc quæ sunt aliena, licentior edit,
 Et quos fors tulerit, tranat nouus aduena fluctus:

Is sacræ furor artis, ea est lasciuiæ versus:
 Quo mihi causa potest vel solo nomine niti.

At vulgaris opem tutelæ, maxime vates,
 Dedignaris, & ad melius conuersus asyllum,
 Mefortasse iubes causam testantibus astris,
 Totius & cæli assensu (Lucane) tueri:

Patrono fœlice magis res digna, sed illa
Impar, & aduersus magni quoque nominis hostem,
Experiar, tanti securus Numine vatis.

¹
Neque e-
nim hic agi-
tur, de motu
communi, &
qui fit ex rap-
tu primi mo-
bilis, sed de
his, qui Pla-
netis peculia-
res sunt.

Nempe Planetarum duplex¹ est denique motus:
Alter ab occasu Mundo contrarius ortum
Poscit, & hoc cursu Cali dimensa volumen,
Astra loco redeunt: cui cum Vertigine solis
Nil commune tamen, motus stata tempora cum sint
Cuilibet Erronum, quæ nunc percurrere non est:
De quo adeo cursu, vates nec somniat illic.

²
Epicyclorum
Theorica.

Alterius paulò est doctrina abstrusior, ut quem,
Ipsa vix acie, solo sed acumine mentis
Percipias: Js motus habet, quo vertitur orbem
Priuatum, antiquis Epicycli nomine dictum.

³
Triplex con-
sideratio mo-
tus in Epicy-
clo.

Circulus is nempe est, priuatim quo quasi ludit
Quodque Astrum, interea dum primum mobile secum
Impete communi, Epicyclosque, astraque versat.

⁴
Aux, punctus
in Epicyclo, a
terræ centro
remotissimus

Motus & is triplex: ³ Epicycli vertice cum sit,
Quem Graij dicunt Apogeon, Barbarus Augem⁴,
Directi tum nomen habet⁵: Retrogradus idem,
Cum parte opposita est, imaque reconditur aluo.

⁴
Vt Planeta
sit directus.

Nempe quod illa prior vertigo, sit ordine recto
Signorum⁶, aduersis aduersa sit altera Signis.

⁶
Vt retrogra-
dus.

In latere alterutro stantem dixere Planetam,
Vt quem stare putes illic⁷, nec, si aliud astrum
cernuus observes, ultrò, citròue moueri
Coniicias, erecta oculos ita linea fallit⁸.

⁷
Vt Stationa-
rius.

Ceterum & hi motus, triplices quos fecimus, orbi
Phabeo numeris respondent omnibus, hos ut

⁸
Planeta enim
recta, aut af-
cendens, aut
descendens,
sub eodem
semper ver-
ticali puncto
est.

A Phæbo pendere putes, illumque Planetis
Omnibus, aut standi, aut cursus præscribere leges.

Nam cum Sol variis aspectibus usque Planetas
Afficiat, quocumque aspectu insurgit in illos,
Tum quasi parentes, & herili sydere iussi,
Singuli in aspectus prorsum efformantur eosdem:
Et versi in totidem, quot Sol, diagrammata lucis,
Persimili referunt aspectu, & imagine solem:
Quæ nec vulgari exemplo docuisse pigebit.

Omne habitum, & numeros Epicycli ordimur ab Auge,
Ut quoque & a coitu aspectus: Sol ergo Planeta,
Si coniunctus erit, tum protinus ipse Planeta
Augis erit puncto: Quod si fortasse quadrato
Urgeat aspectu, quarta quoque Parte Epicycli
Astrum aberit: Medio si deinde volumine Cæli
Sol distet, media distare & parte Planetam,
Atque Augi opposita demergi funditus aluo
Deprædes: Tacito successu quisque Planeta
Emulus est Solis, quosque hic molitur in illum
Aspectus, hos ille Epicycli in margine ludit.

Quæ de Epicyclorum natura, habituque supersunt,
Inuicem inæquales ut sint, cùm ocyor illic

Saturnus Ioue sit², quæ demum puncta, quot arcus,

Denique quot motus Epicycli, & cætera tanti,

Judicia arcani, nunc sollicitare Camenam

Intempestiuum: Hæc aliàs memoranda reseruat

Musula, nec forsan diuturna in tempora, si nunc

Quæ versas, non fastidis præludia Lector.

Ergo instar ducis est, reliquis Erronibus unus

Ut se habet
sol ad Plane-
tam, ita Pla-
neta, ad E-
picyclum.

Quo quisque
Planeta tar-
dior edictus
ad eum Sol re-
dit: Et ideo
tardissimus
Planeta, idem
in Epicyclo
est velocissi-
mus.

Cynthius, & certa vaga corpora lege coercens,
Nunc cursu impellit, nunc & statione moratur.

Ista Cliens noster, si forsan iure Poeta
Liberius, saltem haud obscuro carmine lusit.

Quod si Epicyclorum longo post tempore nomen
Excussum, & nostro fortè est vox posthuma Vati,
Quid tùm prætereà? Res non ita nomine demum
Clauditur, ignoto vt nomine, protinùs & rem
Ignotam facias: Imò consulta vetustas,
Ne tandem Cæli studium, ne sacra Matheſis,
Vulgari temerata manu vileſceret usu,
Suppressis voluit Naturæ arcana latere
Nominibus: tum mos res nudas nomine nullo,
Nullis Schematibus profiteri: Senior ætas,
Vel consulta minùs, vel tantæ indaginis impar,
Ipsa nouas rerum voces, noua schemata finxit.
Posteritatis opus, vox est, res mystica, priscæ
Est maiestatis. Tu ne ergò antiquitus omnes
Ignorasse putes, tibi vel tritissima quæ sint?

Nam quid ego nostris plus iusto abblandiar annis?
Si maiestatem veterum, & fastigia pendis,
Ipsa superficies, rerumque umbratile nomen,
Vix etiàm ad miseros sunt deriuata Nepotes.

Non ergò hîc fuerat, cur mentem vatis iniquè
Contorquens aliò quàm cogitet, ista Matheſis
A sacris aliena adeò, Iosephe, putaris.

Tu tamen his telis, ac qui confeceris hostem,
Et iam præcipiti mediteris mente triumphum,
Aut quasi, qui supplex solium victoris adoret,

C ij

1
Recens enim
& apud recē-
tiores Astro-
nomos enatū
nomen Epi-
cycli.

2
Quod Archi-
medes, quod
Plato confi-
lio, atque e-
t iam Iudei
Cabalistiæ, &
Thamuldistiæ
exemplo de-
cuere.

3
Hoc Sextum
caput est de
cōuiciis, qui-
bus, Scatiger
Lucano iusul-
tat toto com-
mentariorū
decurſu, &
precipue pag
51. 52. 166.
170.

*Iam pedibus vatem fortuna aduoluerit, illi
Efferus insultas, & quem, pro nominis ipsa
Maiestate, etiam si qua hic fortasse fuisset
Culpa, verecunde vt patrem monuisse decebat,
Tu nihilò, ac scurram, condigniùs impie versas.*

*O pudor! A te etiam in tantum conuicia Vatem,
Aetas quæ damnet præsens, & vt auguror, olim
Horrescet bona posteritas? O pagina magnò
Quæ constet tibi, quæ plusquam fortasse putaris,
Nomen apud seros sit traductura Nepotes.*

*Sculponeis¹ te-nè os tanti batuisse Poetæ?
Js declamator tibi demùm? is Rabbula vanus?
Hunc ne etiam? sed Musa nefas auerte, nec æuum
Posterius, quæ forte piis, pia scæcula flammis
Damnabunt, me vate sciat: caue Musula, ne quod
Mox pietas forsan monumentis omnibus ultro
Eradet, renoues, scelerique incauta super sis.*

*Qui semper Latij maiestas nominis vna
Creditus, æternæ æterna hæc fastigia laudis,
Annorum per tot series, & scæcula per tot
Seruarat, cultu paulò maiore Nepoti
Excipiendus erat: sed si, quod sentio, vel quod,
Quisque tui cultor sentit, depromere fas est,
Hæc tibi de quouis censura licentior, ille
Impetus ingenij, qui pridem iure paterno
Orsus in æquales, Maiorum in nomina sensim,
Et sine delectu, sæpe & cum vulnere serpsit,
Crede mihi, Iosephe, haud te decet, & quod opinor,
Non aduertis, apud grauiores illud honoris.*

¹
Hæc cñ inter
cetera sunt
scaligeri
in Lucanum
conuicia, pag.
51. & 52.
Quamquam
scio me nul-
lam gratiam
à Magistellis
iniuisse
qui illorū
Virgilio Cor-
dubensi (Luca-
nū inuicem) o s-
sculponeis
batuerim.
Ac rursus ead-
dem pag. 51.
Quare caue-
te a Lucani
Astronomia:
neque tamen
id dico vt in
ea parte tan-
tum iudicium
& eruditio in
eo desideret-
tur sed in re-
liqua. &c.
Ac rursus
pag. 170.
More suo nu-
gatur Cor-
dubensis de-
clamator,
Denique to-
to libri de-
cursu.

Culmen, quò tua te virtus, & fata vocarunt,
 Haud minimùm offendit, dumque istis tortus, inani
 A vulgo, tu nescioquid tibi credis inanis
 Gloriolæ, quæ iam præstò est certissima merces,
 Et laudis solidæ solida argumenta fatiscunt.

Invidia careant Manes, lacerare sepultum,
 Ut studium infelix, sic sancta Nepotibus ipsis
 Nomina maiorum semper, Iosephe, putavi,
 Huic & precipuè, qui iam iam sustinet, actu
 Æternæ nomen mittendum in scæcula famæ.

In iuste expectas, alijs quod detrahis, æqua
 Posteritate parum dignus, contemptor iniquus
 Usque vetustatis. Sed nos conuicia tandem
 Mittamus, quæ si dictata ardentius a te,
 Sedatus relegis, iam te (Iosephe) procacis
 Penituit chartæ, atque ipso te iudice palles.

Ales ut in miserum fœuire Promethea natus
 Subsudet interdum, dirique aliquantula morsus
 Internala facit, discerpta ut fibra renasci
 Aptior in pœnam queat, atque obducta cicatrix,
 Ferali instauret semper noua pabula rostro.
 Sic Iosephe tuus solita inter miserat ardor
 Spicula, multa satis iam charta effluxerat expers
 Stygmatis, ut vatem spes esset penè remissum.
 Ecce sed ad calcem, stimulo maiore, mora que
 Acrior ex ipsa, in nostrum, Iosephe, Clientem,
 Iustius at nihilò, quàm feceris ante, resurgis.

Carmanos Australe genus, Lucanus ab Austro
 Venisse auxilio dixit ciuilibus armis,

Nam a pag.
 52. ad pag.
 170. Scaliger
 à Lucano ab-
 cinuerat.

2
 Septimum ac-
 cusationis ca-
 put.
 Lucanum Au-
 stro quæ co-
 petant, affi-
 gnasse septen-
 trioni.

Hæc est Lucā.
lectio 3. Phar
fal.

Tū furor
extremos mo
uit Romanus
Orestas.
Carmanosque
duces quorum
deflexus in
Australum, Ae
ther, non to
tam mergi ta
men aspicit
Arcton.

Loco huius
versus, Carma
nosque duces
scaliger repo
suit, Germa
nosque duces
pag. 170.

Loco huius.
Velox ibi no
cte Bootes.
scal. ead. pag.
170. reposuit
Velox ibi lu
ce Bootes.

³
Confusio
sphaera Bar
barica cum
Graecanica.

²
scaligeri
enim hos ver
sus interpre
tant hæc
verba sunt.
vult his ver
sibus Lucanus
in Batteo ma
ri perexiguas
esse noctes.

⁴
Nampag. 170
scaliger ver
sus Lucani su
periores expli
cans ita disse
rit.
Nox ibi con
uersione. Ar
cti, aut Bootæ
notatur.

Germanos tamen ipse legis, licet omnia demum
Præla, typique omnes, quotquot percurreris usquam,
Non nisi Carmanos referant. De nomine lis est,
Nomine, sed secum quod rerum pondera tandem,
Facturamque trahat, commixtisque infera quæ sunt,
Mox in idem chaos, & quæ sint Cælestia raptet,
Ima inturbans superis: Hoc nempe Mathesis
Fœdere tellurem Cælo, Cælumque vicissim
Telluri, paribus sibi respondentia causis
Æternum vinxit, tellure ut abusus, abuti
Cogatur Cælo, nec sit sine crimine crimen.

Sic ut aberrasti semel ipso in nomine, is error
Nominis, Australes Arctis, Australibus Arctos,
Denique naturam terris, & Cælitus omnem
Misceres fecit: & diversissima cum tu
Nomina turbaris, turbare superfuit ipsas
Inferius, sursumque plagas: ut culpa secundam
Extorquens, etiam nolentem in deuia ducit
Mancipium culpa infelix, & sæpius ore
Seruili effundens, cui mens gemebunda reclaimer.

Ergo ubi mendosum suffecit adultera nomen
Lectio, mox Austri rati que, & calculus omnis
Est Boreæ ascriptus, mox & quoque nomine Sphaera
Barbarica irrepsit Graecanica², dispar & usu,
Et ratione Poli, quantum Auster distat ab Arcto.
Ergo perexiguas noctes his partibus esse³,
Ergo etiam noctes Erymantidos orbe notari⁴
Colligis, & si Deus placet, ipse, quod astruis, Aether,
Esse quod Aequator poterit: nimis absona Cælo

Dogmata, & authorem laudare indigna Iosephum.
 Nam per eum, de quo nuncquarimus, Aethera, perque
 Omnia diffidii praesentis conscia quae sunt
 Sydera, quis Caeli vel tam male conscius unquam,
 Atque tot ex saeculis, Aequatorem Aethera dixit?
 Percipis inuitum te sensim ut primulus error,
 Turbinis instar agat? sentis (mi Scaliger) ut nec
 Errorem liceat nisi demum errore tueri?

Hoc etiam observa quam singula verba reclamant:
 Ante ea, quae faciunt certamen, carmina, vates
 Austrinos Arabes Latium deduxit in orbem,
 Post etiam Aethiopum meminit: Quis, Scaliger, inter
 Aethiopes, Arabesque, quasi contermina regna,
 Germanos statuisse, furor? Tu ne ista Poeta
 Affingas, hebeti quae vulgo affingere nec sit.

Quid? quod ibi dicta est immergi aliquatenus Arctos?
 Arctos in oco iduo Germanis lumine sydas,
 Non satis indicium est, id non de Climate dictum
 Germano, at potius quadrasse Australibus oris?

Quippe quaterfena cum non est altior Axis
 Parte sui, terris tum tota absconditur Arctos,
 Post sensim emergens, donec sese efferat Axis
 Sexsenis gradibus: quo puncto auriga Polaris,
 Omnibus & numeris, & pleno sydere Planstrum
 Afferit Oceano, securaque despicit undas.

Hos inter numeros, terdeno scilicet Axis
 Penè gradu, nimio Carmania Sole tepefcente,
 Fundit arenosas ad Persica litora valles.
 Sic locus is demum est, quo Plaustra emergere tota,

scilicet sci-
 licet hunc
 verum Luca-
 ni (quorū de-
 fectus in Au-
 strū Aether)
 interpretatus
 ita ait Pag.

170.
 Fallitur qui
 putat hic in-
 telligi clima
 Austrinum cū
 potius aequi-
 noctialis sit.

2
 Ea est enim
 lectio Luca-
 ni.
 Ignotum vo-
 bis Arabes
 venistis in
 orbem-
 carmanosque
 duces
 Ethiopūque
 solum.
 v. Carmaniam
 inter Arabes
 & Ethiopes
 toto caelo à
 Germanis
 alienos consti-
 tuerit.

3
 Nam superio-
 re periodo
 Lucanus de
 Carmana ita
 cecinit.
 Non totam
 mergi tamen
 aspicit Ar-
 & on.

4
 Ad eleuatio-
 nem Poli
 24. grad.
 Vrsa maior
 toto sydere
 absconditur.
 Ad eleuatio-
 nem 36. grad.
 tota emergit.
 Inter utro-
 que hos gra-
 dus eleuatio-
 nem 24, & 36
 grad. sita est
 Carmania, ne
 pe ad eleua-
 tionem Poli
 grad. circiter

30. Ibi ergo necesse est Vrsam nec totam abscondi nec totam emergere. Quod Germaniæ ne-
 quaquam quadrare potest, ut sita longissimè ultra 36. grad. & cui vrsa nullatenus absconditur.

Tota nec abscondi possint, hoc nempe notatus
 Carmine (nec totam mergi tamen aspicit Arcton)
 Quodque etiam exigua velocem ibi nocte Boetem
 Dixerit, inclamas ardentior: utque Poetam,
 In qua animus præceps impegit dogmata, flectas,
 Moxque incusandum, facias prius ipse nocentem,
 Versiculum mutilas, lucem pro nocte reponis:
 Denique pro cerebro, certis ex arcubus horas
 Tu tibi nocturnas fingis, fictasque Poeta,
 Vel nil tale quidem meditati affingere certas.
 Lucidius metrum est: æstiva nocte Boetes
 Carmanis medio penè est in vertice, gyrum
 Atque adeò ingentem peragens: hoc schemate Cali
 Infera quæ fuerat, lepido Carmania versu
 signata est: sed enim nox hic collata diebus
 Exigua est, velox & dicitur esse Boetes,
 Nempe quod æquali momento conficit arcum
 Maiorem, quàm quæ magis inclinata feruntur
 Astra Polo, nam quò quisque est sublimior arcus,
 Maior eò & citior, Mundumque rapaciùs ambit.
 Sic tibi Carmanos affinibus undique regnis,
 Tum stellis, Cælique notis, & deinde deserto
 Nomine signarat vates, ut Scaliger istic
 Non nisi prudenter te lapsum credere par sit,
 Febre animi quadam, quæ sunt aliena, notandi.
 Deinde (quod & nosti) Germano milite prorsus
 Pompeiana manus caruit, gens Cæsaris omnis
 Hæc fuit, hanc prisca sociam discriminis, Arcto
 Euulsam, solus Latijs inuexerat armis

Lucani vers.
 ex Pharsal, 10

Nam Lucani
 vera, om.
 nibusque ty-
 pis constans
 lectio hæc est,
 Velox ibi no-
 cte Boetes.
 Scaliger infle-
 xit.

velox ibi
 luce Boetes.
 atque inde
 sibi ansam cri-
 minandi fecit

Cesar, & infesta spem Mundi mente volutans,
 Prouidus hos populos, vitæque & sanguinis ultro
 Contemptrix genus, horrendos seruarat in usus:
 Et patrium, Arctoo pendere a¹ Climate, fatum
 Conscius, In patriam, Romanaque mænia ciuis
 Impius, & Latius caput execrabile fastis,
 Arctoo unus delegerat: Imo (quod ultro
 Agnoscis) Magnum necdum Germania norat.

Sed quid opus tandem sinuosa ambage doceri,
 Ultro quod tabula, quodque obsignata loquuntur
 Verba, quibus nusquam Germani mentio, sed quod
 Cecutiens videat, Carmani? Pagina quæ sit
 Excussa, arguitur, pro se stet pagina testis.

Hac progressa tenus fuerit tutela Clientis
 Suscepti, hic Calum peragrandi terminus esto.

Ergo tui candoris erit (Vir maxime) si quid
 Forsan te nolens offendit Musula, vati
 Condonare suæ fortasse impensius æquo
 Causæ incumbenti: Neque enim (mi Scaliger, ipsa
 Ante mihi celebri meritorum cognite fama,
 Quam vultu, absentem quem amplector & osculor absens)
 Scaligero Insuleas ultro insultasse myricas,
 Credibile est: a quo mihi crimine, ut integra semper
 Pagina, sic etiam mens semper abhorruit, a quo
 Glorior immunem seruasse huc usque Camenam.

Hæc ego inhumanas quærendi nominis artes
 Exosus, dignum semper reare esse Poeta,
 Malle sui tenebras, quam per conuitia famam.

FINIS.

I
 Nam regnis
 omnibus, &
 præcipuè Me-
 ridionalibus.
 exitium im-
 mine re à Sep-
 tentrionali-
 bus, ut gente
 totius orbis
 robustissima,
 vulgatissima
 antiquis erat
 sententia:
 Quod tandem
 Romanum, cæ-
 teraque impe-
 ria experta
 sunt. Imò & id
 sacræ literæ
 præcinerant.

2
 Ea est Lucani
 omniū ty-
 pis lectio vna
 Carmanosque
 duces,
 quorum defle-
 xus in Austrū.

